

per verbum & sacramenta, quem proinde eodem religionis cultu, quo Patrem & Filium, prosequimur & veneramus.

Atq; hoc ipsum non immerito quidem facimus. Est enim Spiritus S. est Advocatus noster & Procurator, est Consolator, est Doctor. Est Advocatus prudens I. in consulendo, disertus in perorando, fidelis in defendendo, praestat nobis, clientibus suis, operam maximè fidelem, nostramq; causam omnium optimè asserit ac defendit. Habemus in eo Advocatum prudentem ac peritum in iudicio mundi externo, ubi nos saepius accusat Calumnia, saepius condemnat Tyrannis & Violentia: Habemus in eo Advocatum eloquentem ac disertum in iudicio conscientiae interno, ubi Deus tribunal in corde nostro erigit, ubi accusator Moses exsurgit, peccatum ad iudicium protrahit, mors sententiam decretoriam expetit, Ibi Spiritus S. patrocinatur, ut superati etiam superemus, victi vincamus, & mortui vivamus. Habemus in eo Advocatum fidelem & industrium in iudicio caeli extremo, ubi itidem stabit pro nobis contra infensissimum hostem, Diabolum, ne cum reliquis Orci nihil miserantis victimis ad lanienam abripiamur. Est Spiritus II. S. Consolator Peccatorum, quibus confirmat gratiae divinae testimonium, sufficientissimum Christi meritum & salutare poenitentiae remedium. Est Consolator Infirmorum, quos sustentat, erigit, basulat, in fide consolidat & confirmat. Est Consolator Tentatorum, quos deticit nimia diffidentia, quos inflat nimia confidentia, quos angit & ambigit defectio omnimoda: quos occaecant vanae deliciae, opes falsa, honores instabiles. His ille opponit exemplum Christi, thesauros caeli & gloriam futuri saeculi. Est Consolator Afflictorum in cruce, tribulatione, in dolore, in morbo, in inimicitis, in infamia, in contemptu & solitudine, in fame & paupertate, in bellicae rabie, immò in ipsa morte. Deniq; Spiritus III. S. noster etiam Doctor est, Doctor sapientiae, Doctor eloquentiae, orator elegantissimus, orator potentissimus, nescit tarda molimina, afflat homines, & facit sapientes, afflat citharædum, & facit psalmodum, afflat armentarium, & efficit prophetam, afflat piscatorem, & convertit in predicatorem, afflat persecutorem, & creat gentium Evangelistam atq; Doctorem.

Aequum itaq; erit, ut & nos hodieq; Spiritum S. tamquam Deum colamus & honoremus; ut ipsius virtutes divinas ad imitationem trahamus, & quod Paulus Ebraeos iubet, ad perfectionem trahamur; ut operationes ejusdem dignè suscipiamus, nec easdem impediamus: Sic enim fiet ut nobiscum maneat in aeternum, nec in hac vitâ à nobis excutiat vel contristetur. De quibus ad Vos verba facturi sunt quatuor nostri discipuli,